

- Ἀντίοχος βασιλεὺς  
 --]·ορον Ἄρηι θυιά[ι  
 --]ων μερόπων  
 -- Κύπρον περικαλλέα νᾶσ[ον  
 10 -- ἀπέλυσε χόλον  
 --]αίων τῶν Πτολεμ[αίων  
 -- θηξάμενων  
 -- εὐδαί[μονες ἀντιδιδό[  
 -- δίδου χάριτα.  
 15 --]δ ά μ ω  
 --]ροτάτου δὲ βεβ[  
 -- Ἐνυάλιον  
 --]νυμοι ἐκ Πτολε[μαί --  
 -- νεῖ]χος ἀηραμενοι  
 20 --]·σεις δ' ἀπὸ Νείλ[ω  
 --]ν ἀγειραμενο[  
 -- πολύδακρυον Ἄρηα  
 -- ἔριν στυγεράν  
 -- εἴ]νεκε σοὶ δὲ Σάρα[πι  
 25 -- εὐξάμενος

2, An σ[οί, ad Isidem scilicet spectans?

3, Versu ineunte linea obliqua conspicitur: vel Λ vel potius X.

5, Fortasse Ἀργεῖφόντης supplendum est (cfr. quae infra scribam).

6, Ἀντίοχος supplementum veri simillimum, ne dicam certum, videtur.

7, In versus initio linea directa est (I, M, N, Π?).

9, Theognidis versum meminit carminis nostri poëta: τῆμος Ἐρωσ προλιπὼν Κύπρον περικαλλέα νῆσον (v. 1277); quod in carmine explanando haud sine momento erit.

13, Αἱ ἀντιδιδό[ντες?

18, εὐδώνυμοι vel πολυώνυμοι. Mox vero Πτολε[μαίω vel Πτολε[μαίων.

19, Potius ἀηραμενοι quam ἀηραμένοι[ς (cfr. v. 18: --]νυμοι).

20, Versu ineunte linea directa est: --]σεις vel --]ήσεις.

21, ἀγειράμενο[ι restituendum esse apparet.

22, Confer *Iliadem*, Γ 132: οἱ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι φέρων πολύδακρυον Ἄρηα.

25, Lineam in versus exitu incisam litterae loco habendam esse negaverim. Et quidem revera εὐξάμενος cum versus tum fortasse etiam carminis finis fuit.

Cippus cui titulus noster incisus est simulacrum sustinuisse videtur Isidi dicatum; quod simulacrum in illo κολοσῶ v. 3 commemorato agnoscendum esse dixerim. Hoc vero anathema a Pyroo (v. 2) donatum esse apparet, qui cum illo eiusdem nominis viro Cretensi, in tit. 243 arma sua numinibus Aegyptiis dicante, componendus esse videtur. Duo quidem carmina cippo nostro incisa sunt, alterum Isidem alterum Serapidem (cfr. v. 24) canens, alterum ab ipso fortasse Pyroo compositum alterum ali poëtae cuius nomen in -δαμος exiit



(cfr. v. 15) tribuendum. Superius carmen septem disticha complectitur, inferius quinque, siquidem revera v. 25 ultimus fuit. Primo disticho dedicationem expressam censeo, ita ut Πύροος v. 2 pentametri exitus intellegendus sit; mirum tamen videtur insequentis hexametri initium in eodem v. 2 fuisse, cum ceteri carminis versus per singulos scripturae versus dispositi sint.

Cum singulorum versuum dimidia fere pars perierit, ita ut hexametrorum tres circiter pedes, pentametrorum duo exstent, carmina scilicet restitui nequeunt; omnibus tamen accurate perpen-sis, eorum argumenta fortasse conici possunt. Et primum regis Antiochi (v. 6) Ptolemaeorumque (v. 11; cfr. v. 18) mentiones ut de saeculi II a. Chr. n. aetate cogitemus, qua Ptolemaei reges cum Antiocho aliquo Syriae rege commercia habuerint,

nobis persuadere videntur. Animadvertendum porro est in v. 9 non tam de Amore pulcherrimam insulam suam Cyprum relincente ceterisque hominibus verna semina ferente sermonem esse, sicut apud Theognidem legimus cuius versum poëta noster refert (vide supra, ad v.), quam virum quendam significari haud sane ignotum qui Cypro relicta iram suam deposuerit (v. 10). Praeterea in altero carmine et bellum (vv. 17, 22) et funesta contentio (v. 23) memorantur, quorum altera composita esse dicitur (v. 19); quin etiam carmina ipsa, ni fallor, alterum Isidi alterum Serapidi ea potissimum causa dicata sunt ut his numinibus pro contentione fauste subblata paceque recuperata dignae gratiae agerentur.

Si vero Ptolemaeorum vicissitudines saec. II perspexeris, carminum nostrorum fragmenta illi tempestati accommodata esse concedes, qua Ptolemaeus VI Philometor a Ptolemaeo VIII Euergeta II expulsus regno, cum exul primum Romam deinde in Cyprum insulam confugisset, hinc a fratre arcessitus Alexandriam rediit ibique fratri reconciliatus est ea condicione ut ipse Aegypti, frater vero Cyrenaicae potestatem obtineret (cfr. Bouché-Leclercq, *Histoire des Lagides*, II, 30 sqq.; Otto, «Abhandl. Akad. München», XI N. S. [1934], 86 sqq.). Haec quidem inter Ptolemaeos fratres concordiae reconciliatio mense Iulio a. 163 facta est; paulo ante vero Antiochus Epiphanes Syriae rex mortuus erat, qui, inde ab a. 170 cum Ptolemaeis de Coelesyria plus minus acriter certans, semel atque iterum (a. 170, 168) Aegyptum invaserat. At iste Antiochus idem esse potest qui in priore carmine nostro (v. 6) memoratur. Si porro supplementum Ἀργεῖφόντης v. 5 rectum est (vide supra, ad v.), regis ipsius mors his versibus significari potuit, quandoquidem Mercurium Psychopompi munere functum Graecorum poëtae saepius cecinerunt (cfr. Aeschylum, *Choeph.*, 620: κινχάνει δὲ νῦν Ἐρμῆς; etc.); Antiochus vero Tabis in Perside miram quandam mortem obiisse traditur, in qua nonnulli deorum iram ob Dianae Elymaeae fanum a rege spoliatum agnoverunt (cfr. Polybium, XXXI, 9, 3). Haec omnia si recta sunt, bene convenit et Antiochi mortem ante Ptolemaeorum concordiam commemorari et Ptolemaeos (fratres) pluraliter adduci. Denique nullo modo mirum est Pyroo, in Ptolemaeorum exercitu stipendia fortasse merentem (v. ad tit. 243), fausta illa eventa carmine suo extollere voluisse, hoc vero in Iseo, addito alius poëtae carmine ad easdem res pertinente, cippo donarium sustinenti inscribendum curavisse.

1, Epithetum πλουτοδότεια, quo Ceres saepius exornatur (cfr. *Hymn. Orph.*, XL, 3; etc.), Isidi quoque aptum est.

3, Vox κολοσῶς, statuum in universum significans, unum simulacrum (Isidi scilicet dicatum) basi impositum esse docet. De voce ipsa, confer Benveniste, «Rev. Phil.», LVIII (1932), 118 sqq.; Lauffer, «Ath. Mitt.», LXII (1937), 94 sq.

4, Quidnam vox κορυφή hoc loco sibi velit non intellego.


7, Epithetum θυῖος hic primum, quod sciam, Marti datur, cui quidem aptissimum est. Hucusque enim sive Apollinem Mileti (cfr. Hesychium, s. v. θυῖος) sive fortasse Bacchum apud Eleos atque Iovem apud Dorienses hoc titulo exornatos esse noveramus (cfr. Gruppe, *Griech. Mythol.*, II, 1246).

10, Ptolemaei Philometoris erga fratrem suum benignitatem, postquam Cypro relicta in Aegyptum reversus est, laudat Polybius (XXXIX, 7, 5).

12, Verbum θήγειν quod hic usurpatur an ad arma pertinuit?

18, Fortasse Ptolemaei fratres duo, a Ptolemaeo V geniti, vel in universum progenies Ptolemaeorum (si supplementum Πτολε[μαίων malueris) poëtica significantur.

245. Muro meridiano Isei inaedificatus cippus e lapide vulgari, l. 0.40 (infra) — 0.225 (superne), a. 0.84, cr. 0.33. Litterae saec. fere II a. Chr. n., satis corrosae, a. 0.03—0.05. Delineavit Halbherr.



Νέα Παί-  
 ωνος  
 Εἶσι καὶ  
 Σεράπει  
 5 χαριστή-  
 ον.

Cfr. Oliverio, «Ann. Scuola Atene», II (1915), 310.  
 5, Versu exeunte littera *iota* incerta est.